

# AUGUSTISSIME MARIE II.

PORTUGALIAE ET ALGARBIORUM

REGINAE FIDELISSIMAE.

FAUSTISSIMO EJUS NATALITIO.

## Gelega.

Formosus pastor Corydon ab ovilibus agnos,  
 Cum vigil auratum linquens aurora cubile,  
 Purpureis Cælo manibus dimoverat umbram,  
 Jam egerat, et latus depulsos matribus hædos  
 Ducit in arva, et illic molli gramine sedit,  
 Quod Tagus irrorat vitreas ad fluminis undas.

Interea montes, et mollia prata relinquit  
 Pastorum ad ripas veniens effusa caterva;  
 Namque hodie omnes cantandi spe littora complent.  
 Hic Corydon gracili carmen modulatus avena,  
 Tum canit hæc, imo vocem de pectore fundens.  
 "Pulchrior Oceano surgens jam nascere, Titan;  
 "Nosque, ignes Cæli, gratum qui ducitis annum:  
 "Hæc celebrare novo liceat mihi gaudia Vere,  
 "Seu pastum in fontes ovium cum ducimus agmen,  
 "Seu repetat noctu præsepia tarda juvenca;  
 "Natalem dicam Reginae carmine dolci.  
 "Alma dies ruri Cælo dimittitur alto,  
 "Ferrea qua desunt, ac aurea sacula surgunt;  
 "Regna iterum præclara, et grandia Ulysia cernit,  
 "Uysiadum Solio Residentis Formosa MARIA,

" Quam Pietas, et Prisca Fides cum Pace sequuntur,  
 " Religionis Cultrix, et Fidissima Custos,  
 " Turbida de Templis depellens nubila Prudens,  
 " Nec lacrymis Parcit Clemens pro civibus ortis,  
 " *Hec ignara mali, miseris succurrere discit.*  
 " Illa decus labi imperii non Desinit illud,  
 " Victrix Glata, et per tot discrimina rerum,  
 " Jura Dedit, Legesque viris, quas Optima Sanxit.  
 " Nos, Tagides Nympha, pariter Dryadesque puellæ,  
 " Montibus, et sylvis hæc carmine dicite vestris.  
 " Pastores, calathis diffundite lilia plenis.  
 " Flora simul, Zephyrusque volans fragrantibus alis,  
 " Serta legat Magna redolentia Fronte **MARIE**,  
 " Et vaccinia nigra, et summa papavera carpens,  
 " Pallentes violas, et amantes littora myrtos.  
 " Tu quoque, fons uberrime Gangis, et Indica tellus,  
 " Illius ad Plantas, hodie submittite colla;  
 " Solis ab ortu frenis Continet Illa superbos,  
 " Duraque mordit vincula diris Africa monstris.  
 " Clausis Jani portis, telaque horrentia, tela  
 " Jam conversa in aratrum, cuncti gaudia captant.

" Flores agricolæ spargant per florea prata,  
 " Astræa e Cælo, et veniant Saturnia regna.  
 " Per campos multas Neptuni nautica pinus  
 " Mutans advectat, magno cum pondere merces,  
 " Sponte sua oriri de terra cuncta videntur;  
 " Vomere, nec tauris opus est florentibus arvis;  
 " Namque solutus campis latus vivit arator!  
 " Fœdera munite, ô Cives, date jungere dextras.  
 " Et vos, ô socii, cœtum celebrate faventes;  
 " Spargite humum foliis, nostros reparemus honores,  
 " Fronde sub arborea, ripas quæ fluminis umbrat;  
 " Ponite lætitiâ mensis, et munera Bacchi;  
 " Insanire juvat, Nymphæ, mihi pocula ferte.  
 " Supplicibus populi votis, ô Reddita magni,  
 " Dum juga montis aper, fluvius dum piscis amabit,  
 " Dumque thymo pascentur apes, dum roræ cicadæ,  
 " Semper honos, Namque Tuum, laudesque manebunt.  
 " At, Tu, Reginæ Nuptiis Sociate superbis,  
 " Munere Quem nostris Cælo Deus appulit oris,  
 " Nec Te Peniteat nostro jam carmine dici.  
 " Te penes, ô REX MAGNE, manent sua fata nepotum.

162  
3  
32

“ Ah! si Ulysiadum felix cupis esse propago,  
“ Illos Magnanimos Reges Imitabere priscos,  
“ Difficiles ut sic regni modereris habenas,  
“ Ut Pater, atque simul gentem Rex ducere Possis!  
“ O’ utinam Deus Ille cui mea carmina curæ,  
“ Terras, Quique maris tractus, Cælumque profundum,  
“ Astraque sub pedibus Qui æterno Lumine ducit,  
“ Ulysiadum semper Reginam sospitet Aequam,  
“ Et Natos Natorum, et qui nascentur ab Illis.

Pastorem memini sic dicere littore curvo:  
Hæc fatur Corydon, palmas ad sydera tollens,  
Concinuus crines amarantho, et tempora cingens.  
Meu felix, mea Reginam si carmina tangunt;  
Aurem si Pia Præbuerit pro talibus ausis,  
Accipiens hæc Vatis nullo munera cultu,  
Solamenque mali præstet mihi Diva MARIA!

Tuus subditus humillimus

OLISIPONE KAL. APR. ANN. MDCCCLXI.

Franc. Anton. Martins Bastos.